

tem, unde manifestum est, amore nostri, non Herodis timore, quem solo nutu cohibere potuisset, fugam arripuisse, sed potius instar strenui ducis singulari stratagemate, inimicum fugiendo, deluisse. Unde eleganter divus Petrus Chrysologus dixit: *Bellioeus, quod in bello fugit, virtutis est, non timoris. Deus, quando fugit hominem, sacramentum est, non pavoris: potens, quando se subducit infirmo, insequentem non prece, sed foris producit: vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriam: ocellum se non patitur inire confictum, qui mandare suum saeculis vult triumphum: secreta victoria, virtusque latens exemplum posteris non relinquunt: hinc est, quod Christus fugit, ut cedat temporibus, non Herodi. Neque enim mortem fugit, qui venerat de hoste reportare victoriam, neque humanas insidias expavesceat, qui totus venerat diabolicæ fraudis opere versutus; nec tunc timuit, quando infans, et secundum hominem timere nescivit, et secundum Deum potuit non timere. Quod si expressius agnoscere cupis, quam utile nobis fuerit, ne Christus in infantia, sed grandior effectus moretur, memento quaeso, nomen agni ci in baptismo impositum, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; agnium autem carnem nemo ignorat, aptiorem esse cibum, et convenientiorem saluti, cum creverit, quam dum lacte ad ubera matris nutritur; et quamvis mors huius agni salis tunc nobis esset in propitiationem, tamen si infans cohibuisset, totus orbis divina eius doctrina, et exemplo caruisset: quis enim mundo coelestia enunciat, si unigenitus, qui est in sinu Patris, ea non enarrasset? *Qui enim de terra est, de terra loquitur; qui de caelo venit, super omnes est.* Quis etiam exemplo doceret nos viam in coelum, ut status non erret per eam, nisi Christi exempla coram oculis haberemus? et si adhuc ita imperfecti sumus, cum tot Christi exempla imitatione digna ante oculos habuerimus, quales, obsecro, nos futuros fore putandum est, si illis caruissimus? Solet mathematicus disputans e cathedra de figuris docere discipulos, et figuras quodam digito per aërem designare, atque huc, illucque se vertens, ait: hic est circulus, hic triangulus; sed haec in aëre signans, cum perfectas figuras, et permanentes efformare non possit, continuo illae evanescent; ut vero perfectæ eas efficiat, et oculis discipulorum illas subiciat, e cathedra descendens, papyrus, aut tabulam sumit, ibique illas perfecte circino signat. Non secus Deus olim homines, virtutum figuras a coelo, easque in viris sanctis effingebat, quos, ut exemplaria mundo proponebat: unde de Tobia (c. 2) dicitur: *Hanc autem tentationem permisit Deus evenire illi, ut posteris daretur exemplum potentiae eius.* Ecce in Tobia depinxit patientiae imaginem. Cum Susanna etiam a lascivis senibus tentata, gloriosissime illos devicit: sane in ea Deus posteris omnibus singularis castimoniae exemplar vivum ad imitandum proposuit. Verum harum virtutum effigies in aërea materia caelabantur, Iobis dicente: *Ventus est vita mea, ideo non erant omnibus numeris absolutae, sed nullis imperfectionibus admixtae: ut ergo Filius aeterni Patris mortalium oculis**

perfectissima proponeret virtutum exemplaria, descendit de coelis, et in assumpta humanitate circino ea adamussim efformavit, ut vere eius aemulatores efficiamur, iuxta illud Petri (1. Pet. 2): *Nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius.* Haec ergo ratione modo se morti subtrahit, non eam recusans, sed in tempus commodius differens, ut prius omnem nos edoceat virtutem tam verbo, quam exemplo. Non igitur timor, sed ardens potius erga nos amor ad differendam mortem in aetate iam provecta Christum impulit. Et quidem si adhuc iam vir factus, quia tempus mortis eius nondum appropinquarat, dixit (Joan. c. 2): *Nondum venit hora mea*; quanto potiori iure in infanti existens aetate idipsum dicere potuisset? Quamvis igitur totis viribus Herodes Christum persequatur, voti sui compos minime evadet; horam eius mutare, mortem accelerare, interitum maturare nequit; habet enim ille sicut vitae, ita et mortis clavem, herodianique furoris habenas manu gestat: quare huius lupina saevitia ardentior esse non poterit, quam mitis hic agnus permiserit: idcirco, cum ipse decreverit infantem non mori, nec dum tener est, matris ubera sustentem occidi, quia ardentissimus eius amoris genus humanum, tam parum sanguinis effundens, non plene satisfacisse sibi videbatur; ideo in vanum laborat Herodes, quaerens in infantia animam eius, crescat aetas, roboretur corpus, augetur sanguis, et tunc hostes non fugiet, sed quaeret, qui terris irrigandis, sanguinis aperiant ex virili corpore fluvios.

Quod si adhuc rem alius consideremus, facile nobis innoscescit, maius Christum Dominum sui amoris pignus nobis praebuisse differendo mortem usque ad juvenutem suam, quam si infantia, aut senectate moretur. Sanctus ille rex Ezechias, quando mortis suae sententia fuit sibi nunciata, illud super omnia vehementer illum cruciabat, quod in juvenute sua interire cogereetur (Isai. 38): *Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi*: magis enim, ceteris paribus, contristat animum mors juvenis, quam senis, aut infantis, quia inter omnes aetates juvenis pretiosior esse censetur. Ut ergo Christus maioris amoris sui signa nobis exhiberet, pretiosiore suae aetatis tempore pro nobis vitam profundere voluit, et ideo nec in infantia, nec in senectute moriendum sibi elegit. Atque per hoc sufficienter responsum me dedisse arbitror secundæ rationi dubitandi.

Ex quo vobis, o senes, aetate et in peccatis inveterati, non exigua erubescens, et confusio materia proponitur, cum Christo pretiosius suae aetatis tempus, immo et totum suae vitae curriculum in vestram utilitatem expendente, vos nec deteriores vitae vestrae dies in feliciora tempora, et momenta in obsequium eius expendatis. Ita ne aetatis vestrae candidiorem et selectiorem farinae vestris voluptatibus, et deliciis absumentes, nec viles saltem illius furfures Deo praestare vultis? Audite quaeso, ut erubescatis, gentilem hominem Seneca (de brev. vit. c. 5) in hunc modum

senibus loquentem: *Non te pudet, reliquias vitae tibi serrare, et ideo solum tempus bonae menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? quam serum est, tunc incipere, cum desinendum? quae tam stulta mortalitatis oblitio, in quinquagesimum, et sexagesimum annum differre sana consilia; haec Seneca. Sed commendiosus Salomon (Prov. c. 5): Ne des annos tuos crudeli: quasi dicat, ne concedas prosperos tuos annos crudeli hosti appetitui tui sensitivi, sed praebae illos mansuetissimo infanti, Christo Domino, qui pro diebus aeternitatis facile eos tibi commutabit. Quod si hoc praestare renuis, cave ne impleatur in te illud Ecclesiastici (c. 7), intempestivam mortis tibi minantis horam: Ne impio agas multum, et noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. Scio nonnullos non indocte hunc locum explicare, ut duplex possit intelligi homo habere tempus: unum suum, quandiu coelesti auxilio suffultus divinis obsecrandi inssonibus; aliud non suum, quando in peccatis conterens, tempus illud daemoni sacrificat, tunc enim crudelis hic tyrannus, sicut facit servum ipsum peccatorem, ita tempus eius perperam consumptum quodammodo reddit suum: cum ergo monet Ecclesiasticus peccatorem, ne moriatur in tempore non suo, perinde est, ac si diceret: Cave, ne moriaris in tempore, quod immolasti diabolo, talis enim mors ad mortem aeternam te ducet. Ceterum d. Hieronymus, Paraphrastes chaldaicus, et Albinus aliam viam ingredientes, arbitrantur, tunc hominem censerit mori in tempore non suo, quando propter frequentia scelera, ac enormia peccata; ita divinum iracundiam contra se provocavit, ut ante tempus illud ad quod, si ita non peccasset, pervenisset, vitam ei eripiat, adeo ut si alias victurus fuisset sexaginta annis, triginta tantum sibi superstes, prout euidam adolescenti accidisse commemorat sanctus Bernardinus (tom. 2. in quad. dom. 2. ser. 17), affirmans, quod ipso vivente, cum quidam inveniens decem et octo annorum, parentibus inobediens, variis latrociniiis assuetus ad suspensionem duceretur, patibulo proximus paulatim caecescere coepit, senili barba mentum eius circumdari, et vultum eius rugis repleri in similitudinem decrepiti nonagenarii. Cuius stupendi effectus occultam causam ex divina revelatione illius urbis Episcopus agnoscens, asseruit divinitus sibi innotuisse, quod si adolescens ille non addidisset tot peccata peccatis, nonagenarius moriturus foret; in poenam tamen eorum divino iudicio factum esse, ut reliqui omnes anni a decimo octavo, quo mortuus fuit, usque ad nonagesimum ei auferrentur.*

Caveat ergo, ne peccata peccatis adiacentes, hanc Dei vindictam experiamini, vel certe eam quam expertus est ille, qui inopinate, et repente vocem sibi dicentem audivit (Luc. cap. 12): *Stulte, haec nocte animam tuam repetent a te.* Attendite Dei minas; animam eius repetendam fore, ait tempore nocturno, non diurno, quia cum tunc divites soleant multis famulis, et amicis stipari, forsam quispiam erga illos pietate motus confessorium vocaret,

et ad contritionem animi infirmatis excitaret; severo tamen Dei iudicio fiet in peccatorum supplicium, et in impudico noctis tempore pereat, quo nemo spirituale aliquid sacramentorum subsidium ei praestare possit. Deinde addit (ubi sup.): *Repentem animam tuam; quod enim videbatur dicendum: repentem, sed repetet: quia cum solus Deus illam dederit, ad illam solum spectat eam repetere; sed consulto ait, repentem, ad significandum, quod sicut olim peccatum Cain fratris sanguinem effundens vindictam adversus eum postulabat, sanguis fratris tui Abel clamat ad me de terra, ita scelera omnia in curriculo vitae patrata animam miseri peccatoris repetent, e corpore illam extrahendo, cum in supplicium eorum vitae illius, iusto Dei iudicio, dies minuantur. Nec dicit, petent, sed repetent: quia multo antea divinum ultionem petierant, et in extremo vitae illam instantius repetant.*

Tertiam causam iam appono, cur Christus Dominus fugerit, per quam tertiae rationi dubitandi faciam satis: licet enim prima facie videatur, securum potius manere in Nazareth Gallitiae, cum solum bethlehemicis infantibus occidendi essent ab Herode, et consequenter supervacanea fuisse illam fugam, aliter tamen se res habet, quia si Ioseph mansisset in Nazareth, manifestum periculum immineret, quod cum Herodes a Magis edoctus didicisset tempus, quo Christus natus fuerat, facite potuisset quaerere, quot, et qui nam nati fuissent illo tempore in Bethleem, et per diligentem inquisitionem invenire potuisset quendam puerum Galitaeum natum fuisse eo tempore, venientibus illac parentibus ad profectum. Possent etiam non difficile certior fieri, quomodo ille esset de Nazareth, quia per libros professionis Bethleem facili negotio poterat sibi constare, quot, et qui viri, et foeminae, tam de Bethleem, quam alienigenae fuissent illo tempore in Bethleem, et ex hoc inquirere quaenam foeminae ibi tunc pepererant, atque adeo potuissent invenire Mariam de Nazareth, ibi tunc peperisse puerum Iesum, et diligentem curam adhibere ad illam inventiendam: haec enim ratio sine dubio arbitrari angelum dixisse Ioseph in Nazareth commorante, ut fugerent, quia futurum erat, ut Herodes quaereret puerum ad perdendum eum, et testatur d. Matthaeus agens de fuga Christi; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA V.

Prosequimur causas fugae Christi Domini a facie Herodis, alias plures scitu dignissimas ex sanctorum Patrum doctrina recensentes, ac de bono, et utilitate exilii permulta tradentes.

Cum perditus ille haeresiaracha Nestorius (contra Max. dial. prim.) petulenter, et inverecunde adversus Christum Domini fugam oblatrans, haec verba effluerit: *Quid potest esse iniquius, quam*

ut credatur Deus propter hominem fugisse in Aegyptum? compellor certe novas alias in medium producere causas, tum in confusione huius haereticum, tum in confirmationem catholicae veritatis, Christi Domini fugam attestans. Ne autem difficultatem fugere videar, potius illam cum d. Chryologo (de fuga Chris.) urbeho, in hunc modum loquente (serm. 150): Persequente homine, Deus fugit, sciencie terra, coelum trepidat, et colitane pulvere, pavore turbantur angeli, et pavor patris, filio fugiente, monstratur: Accipe puerum, et matrem eius, et fuge in Aegyptum. David persequente Saul, ad Iudaeam confugit, recepit vicinia; domus uni us viduae Eliae sufficit ad latebras. Christo fugiente, locus deest, provincia deficit, non subvenit patria, dum migrat, non vicinae gentes, non finitimas sufficientes regiones; sed Aegypti tristem locum, extorrem habitum, lingua, moribus barbarum procurant exitum: Accipe puerum, et matrem eius, et fuge in Aegyptum. Si reorum refugium fugit, auxiliium latet omnium; si formidat fortitudo cunclorum, si universorum defensio non defendit, quare humana notatur fuga, arguitur trepidatio, fortitudo culpatur? quare vocatur in crinen Petrus, qui negat; Ioannes qui exprobrat, et fugit; Discipuli omnes, quia deserunt per pavorem. Et ista fratres, esto facta sint, quare literis mandantur? quare referuntur in libro? quare recitantur saeculis? quare quotidianis lectionibus innotescunt? quare omnes panduntur in gentes? nunquid ut dicimus timorem gloria, locus, aetas, tempus, universa cognoscant? sicut enim, cum virtutes leguntur, animos erigunt ad profectum, ita deponunt animos, cum recitantur infirma. Quid sibi vult ergo evangelista, quod haec scribit ad memoriam sempiternam devoti? militis est, regis sui tacere fugam, referre constantiam, virtutes loqui, timores silere, aperire fortia, infirma reticere, adversa dolere, praedicare victorias, quo et hostium frangere ausus possit, et sociorum excitare virtutem. Evangelista igitur referendo ista, videtur excitare haereticum latratum, et defensionem fidelibus sustulisse; haec ille.

Sed re altius considerata, certe in fuga Christi Domini potentia, sapientia, ac bonitas Dei infinita gloriosissime se ostentasse mihi videntur. Potentia enim, dum infans fasciis involutus, potentissimum regem, Herodem superavit. Sapientia, dum eundem miro artificio delusit, ut his verbis eleganter prosequitur Origenes (super cap. 2. Math.): Sentiens Herodes, quod delusus esset a Magis, iratus factus est nimis, utpote, quem auctor omnium saeculorum diabolus possidebat, inerat illi furor serpentinus, horribilisque draconum, et spirituum immandorum insania, iudicio, ut dictum est, iratus est nimis, nulla in furore suo cogitans, diversaque considerans, intra seipsum dicebat: Ego qui domi provincias, occupavi urbes, invitos mihi subieci populos, alia voluntaria necessitate ad meum convertens obsequium, qui terris hostes, devici adversa gentes, in quibuscumque volui, meis impetibus satisfeci, furorique meo obsecundavi, nec quidquam mihi contra quod volui, restitutum putavi: ecce, nunc meipsum video circumventum, delusum sum a Magis, et ab alieni-

genis velut nullus irrideor. Decidi a potentia mea, a miseris hominibus illudendus deceni. Haec dicens, impalluit, furiosusque tremor per totam eius concurrat mentem, ferebat dentibus, nullo tenebricabatur aspectu, igneus oculis eius sese turbo infuderat, suisque genitibus intra semetipsum impius torquebatur: nec immerito dicit Scriptura, quia tra regis, ut rugitus leonis; ergo iratus factus est nimis: quo nefando furore excaecatus animus eius, Deum contemnit, iustitiam abigit, misericordiam spernit, pietatem reliquit; uni tantum, ut dixi, furori sese totum dedit; haec Origenes.

Deinde bonitas divina, quae in Christo Domino sub carnis velamine latebat, in fuga hac mirifice splenduit, dum volens innocens puer Iesus laborum suorum pueros illos socios, ac participes habere, latam viam eis aperuit, ut martyrii palmam reportarent. Ut enim acute dixit d. Petrus Chryologus (serm. 153): Si non fugisset Iesus, haberet eos synagogae filios, non eos haberet Ecclesia martyres. Certe Christus Dominus, ut nullum tempus esset absque miraculo etc. ut notavit s. Leo Papa (serm. 2. de Epiph.): quasi iam diceret: Sinite parvulos venire ad me, novae gloria coronavit infantes, et de initiis suis yerculorum primordia consecravit. Unde recte d. Augustinus (serm. 3. de Innoce.) dixit: Ecce prophetae hostis nunquam beatis parvulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio: nam sicut sacratissimum praesentis diei festum manifestat, quantum contra beatos parvulos iniquitas abundavit, tantum in eis gratia benedictionis refudit. Hinc recte d. Gregorius Nazianzenus (de Innoce.) dicebat, hanc sanctorum Innocentium necem detestandam sive deplorandam esse, et simul venerandam: Si enim, ait, ad Herodis, et carnificum eius crudelitatem attendamus, qui parvulos Innocentes sine ulla causa morti tradebant, et inter ipsa brachia, et ubera matrum trucidabant, detestanda sine dubio est, et deploranda, quemadmodum Ieremias in spiritu lamentabatur, inquit: Defecerunt prae lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, cum deficeret parvulus, et lactens in plateis oppidi: cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum. Quis enim posset lacrymas continere, cuius viscera non commoverentur, cum videret parvulos, et lactentes in medio platearum trucidari, et ad ubera matrum portatos, in ipsis eorum sinibus, ac brachiis animas exhalare? quos emtrivi, ait (Thren. 2.), et educeavi, inimicus meus consumpsit eos: hostis enim et inimicus Christi, et Ecclesiae Herodes impius illos parvulos occidendo consumpsit; et sicut de rege Manasse dicitur (4. Reg. 11): Sanguinem innocentium fudit Manasses multum; sic ille effudit sanguinem sanctorum Innocentium in Bethlehem, et in omnibus finibus eius, motus ferina rabie in Christum, quem capere volebat ille fur, mactare, et perdere, sed non potuit quidquam contra Dei consilium moliri. Si vero ad sanctorum parvulorum felicissimas mortes attendamus, omni honore, et summa veneratione dignissimas iudicabimus, per quas aut cooperunt coelestem, aeternaque vitam possidere, quam usum praesentis habere potuissent. Felices illi, ait Chryologus (serm. 152)

quibus dedit triumphare, ante quam vivere; ante coelum possidere, quam terram: felices, qui ante caperunt sanguinem fundere, quam lac perpotare ex uberibus; felices quorum crimen fuit propria innocentia, et Christi gloria. Et vide optime haec duo significavit nobis sanctum evangelium, quando dicit: Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt. Chryostomus (hom. 3. de variis in Math.) docet: Rachel, Ecclesiam Dei representare: sed duo diversa, inquit, in ea conspicio quod flet, et quod consolari contemnit; si enim flet, cur consolari contempsit? aut si noluit consolari, cur flevit? et respondet ipse: Conditio a Matre defleat, sed spe gloriae consolatio humana contemnitur; pietatis affectus in fletibus declaratur, sed occisorum gloria, repudium consolationis indicat. Plangit affectus, sed fides exultat; deflet humanitas, sed devotio consolatur: noluit consolari, quia non sunt, quia iam in labore hominum, et vitae calamitatibus non sunt, sed cum Christo regnant in aeterna vita, et requie. Consolatio autem, ait Hilarius (can. 1. in Math.), rei amissae erat praestanda, non aucta.

Aliam praeterea causam fugae Christi assignant alii gravissimi Ecclesiae Patres, ut exemplo suo nos doceret, expedire non semel Christi fidelibus, fugam arripere a facie tyranni, nam praeter d. Augustinum (tract. 15. in Ioan. et Epist. 180), et Tertullianum (lib. de sup. impres.) id adnotantes, d. Cyprianus (libro de lapsis) dixit: Quisquis in Christo manens interim edit, non falem denegat, sed tempus expectat; et Aymon: Considera, inquit, obsecro, quomodo ad exemplum nostrum incipiat iam in tenera aetate pati persecutions Christus Dominus: exemplo etiam suo nos docet id, quod dixit Matthaeus (c. 10): Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam: et Eusebius Emisenus (homil. de fuga Christi) inquit: Aetate est via, quae ducit ad vitam, verumtamen nec semper est fugiendum, nec semper est resistendum, sed pro temporis, et negotii qualitate, et hoc, et illud fieri oportet. Sed ante illos omnes antiquissimus Origenes (homil. 3. in aders.) hanc eandem causam tradens, in hunc modum Christum alloquitur: Si pietatis, inquit, esse dicimus, quod natus est Christus, quod fugisse legimus, quid dicemus? forte, si natum diximus, ut repararet naturam, dicamus, ut fugaces revocaret, aufugisse, sicut et Adam, et Evam a facie eius fugientes rececit: fuge in Aegyptum. Iam vide, quae miseria Christum puerum, et matrem intravit, ut nec illis tutum fuerit manere in patrio solo: his olim afflictionibus probati sunt Abraham, Jacob, Moyses: ipse etiam David toties ad circumvicinos populos transfugens, quod se tyranni Saulis insidiis undique circumvenit videret: Unde et ait: Quoniam et advena ego sum, et peregrinus, sicut omnes patres mei. Quod si sacra eloquia consulamus, facite reperimus amississimos Dei, divinitus inspiratos, tyrannorum saevitiam fugisse. Fugit Jacob fratrem suum Esau, mortem illi machinante; fugit Moyses Pharaonem; fugit Elias Iezabelam reginam; fugit Paulus a Damasco per murum demissus; Petrus solutis ab angelo vinculis et carcere fugit; fuerunt tandem

primogeniti Ecclesiae catholicae, quos Apostolus vocat (ad Heb. 11): In solitudinibus errantes, in montibus, et in speluncis, et in cavernis terrae, fugam dignus non erat mundus. Hi omnes fugam arripere exemplo Christi Domini, qui infans Herodem istum, vir factus alium fugit Herodem, et saepe Iudaeorum insidias fugiendo evasit. Unde divus Augustinus (de doctr. Christi) hoc salutare documentum nobis tradidit: Si quis servus Dei venerat, ne captus tormenta sustineret non possit, et timeat, quod in fide deficiat, bene sibi consultit fugiendo.

Antiquissimus Origenes (hom. 17. in Numer.) aliam huius fugae morem perpendit causam, in haec verba: Fuge in Aegyptum, ut iis qui nomine Christi persecutionem patiuntur, qui tribulationes tolerant, qui iniurias perferunt, fortiter stent, viriliter praestentur, Ecclesiam non deserant, sed semper meminerint, quia et Dominus a peccatoribus persecutionem perpressus est, quoniam ab iniustus contumeliatum est, et ab ipsis de loco in locum fugit. Teigit eleganter hanc eandem rationem d. Greg. Nazianz. (or. in Christi Dom. nat.) dicens: Itaque si in Aegyptum profugiat Christus, alacri animo te illius fugae comitem adiuuge, praeclearum est, cum Christo persecutione presso, fugam intrare; si diuturnior in Aegypto moram faciat, ex Aegypto cum voca: quod quidem fiet, si eum pulchre, atque honorifice illic adoraveris.

Nicaeas Theologus suis in haec Gregorii Nazianzenis orationem scholia, hanc historiam sublimiori sensu a nobis vult intelligi: Herodes igitur, ait, si interpretari velis, idem sonat, quod crassa et passibilis, et ulla pelta nuda; Aegyptus autem nunc praesentem hunc mundum designat, nunc carnem, nunc peccatum, nunc ignorantiam, nunc aerumam, et afflictionem, quae potissimum significatione hoc loco Domini fugam in Aegyptum accipere convenit. Si igitur, inquit, Christus in nobis conditus, id est, virtus tenera aetate sit, atque affectus carnalis, et terrenus Herodis cuiusdam instar iubeat, et principatum teneat, ad afflictionem in actione stant, velut in Aegyptum fugiendum est: quod si carnalis affectus, qui dicendam doctrinam nobis insulam interfecere molitur, extinetus, et encatus fuerit, tunc sane ab Aegypto Ierosolymam migrandum est, hoc est, ab afflictione, quae in agendo suscipitur, ad contemplationem pergendum est: actio enim contemplationis basis, et fundamentum est; emortuus enim affectus supercaecum postea erit in actione longiorem moram trahere, ac non ad contemplationem subehti, ad quam actio ipsa spectat.

Ceterum, cum inter labores quos Christus Dominus pertulit in infantia sua, exilium ad barbaram, et incultam nationem, hodierna die nobis proponatur, specialia ratione in exilium damna, vel ad loca sibi infesta abire coacti, ut id patienter ferant, invitantur, et confortantur; eo vel maxime, quod qui in Christo manent, nulla ratione exilium nuncupari possunt, ut sapienter adnotavit d. Augustinus, dum loquens de illo inelyto martyre Cypriano in exilium missum, dixit: Aut de patria tua in alienam te arbitras exulare, hominem Dei in Christo nusquam exulem, in carne ubique peregrin-

num. Quasi diceret: Iustus, quia in Christo manet, et Christus in eo non est exul; peccator vero qui longe a Christo abest, ille peccator exulat. Unde Pbilo (*lib. Allegor.*) dixit: *Exul impius est, quoniam in patriae deliciis vitam degat; cui sententia consonat illud Marci Tullii (in Tursul. 3) patria est, ubicunque bene est.* Unde, cum divinum eloquium audiamus (Isa. 3): *Dicite iusto, quoniam bene; manifestum est, quod iusto bene erit non solum in patria, sed in exilio.* Ad haec, non potest vir sanctus in exilium pelii, nam vel illi omne solum patria est, vel totus mundus exilium; si omne solum ei patria est, ubinam exulabit? si totus mundus exilium, quomodo mittetur in exilium, qui semper est in exilio? Victorinus Hugo (*lib. 3. Didasc. cap. ult.*): *Delicatus, inquit, ille est adhaec, cui patria dulcis est; fortis iam, cui omne solum patria est; perfectus, cui mundus totus exilium est; ille mundo amorem inficit, iste sparsit, hic extirpat.* Gregorius Nazianzenus (*or. 28*): *Mihi, inquit, omnis terra, et nulla terra patria est.* Nulla terra patria erat Gregorio, quia patria erat coelum; omnis terra patria erat, quoniam totum terrarum orbem pro patria dicebat: erat enim mundi totius civis. Similiter magus Basilus apud eundem Gregor. (*in orat. 20. de laud. ipsius Bas.*) praefecto cuidam respondens: *Exilium, inquit, non cognosco, qui nullo loco circumscriptus sum, ac ne terram hanc, quam nunc incolo, meam habeo, et eam omnem, in quam proiectus fuero, pro mea duco; immo, ut rectius loquar, universam terram Dei esse scio, cuius advena sum, et peregrinus; haec ille. Consonat etiam his Dionis Cassii testimonium dicentis: Praestat te, nullo flagitio admissa, patria excidisse, quam perpetrato aliquo malo facinore in ea renansisse.*

Cuius sententia veritatem, vel illud unum perspicue satis comprobat, quod nihil mali in exilio excogitari potest, quod cumulatus in peccato non reperitur: si in exilio miseria, et indigentia est, ecce peccatori dicitur (*Apo. 3*): *Necis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cacus, et nudus;* si in exilio amici non adsunt, qui tibi subveniant, lobum audi peccatoris personam agentem, quod dicit (*Iob 7*): *Et necessarii quoque mei recesserunt a me: quo loco per necessarios, non solum amicos, sed et angelos custodes, ad custodiam nostram valde necessarios, nonnulli doctores intelligunt; quia licet omnino peccatorem non deserat, longe tamen ob eius scelera ab eo recedunt, sicut et contra iustos singulari amore prosequunt, et circumdant, iuxta illud (*Ps. 33*): Inmittet angelus Domini in circuitu timentium eum. Deinde si in exilio nullus humanus favor opitulatur, et ab omnibus se despectum exul exepertur, audi Deum prophetam Samueli Saulis mortem lugenti dicentem (*1. Reg. 16*): *Usquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum? quid quaeso observabilis, quam a facie Domini profici? Observatione tamen dignum in hunc locum est, adeo Deum Saulem odisse, ut prophetam increparet, eo quod de eius interitu plerique: qui enim peccata sua non planagerat, dolenti indignus erat. Rursus si exilium frequenter iacturam bonorum exulis parere so-**

let, et occasionem praebere, ut sua omnia devasentur; certe peccatum ignis est omnia bona devorans et absumens. Unde senex Tobias inter alia salutaria monita, quae filio suo praestitit, illud singulare fuit, ut postquam sepulturae corpus suum mandasset, continuo a Ninive recederet, eam solum illius discessus reddens rationem: *Video enim, quia iniquitas eius faem dabit ei.* Doctores valde inter se diligantur, quisnam extiterit civitatis Ninive subversor? sanctus Hieronymus, Theodoretus, et Rupertus (*sup. cap. 2. Naum*), putant Nabuchodonosorem illum subvertisse. Iosephus (*l. 10. c. 10*) arbitratur, Medos, et Chaldaeos illum expugnasse. Beda (*de tempore capite 20*), et Orosius (*l. 1. c. 19*), putant eum devastasse Arbaxem Medum. Verum illud certius est, iniquitatem eius, ut dicit Tobias (*c. 14*) illum solo aequasse, et usque ad finem consumpsisse: *Iniquitas eius faem dabit ei; quia ergo non exhorrescat, tam diro, et truculento hosti omnia bona demolienti fores aperire? Quid plura? Si exules ad alienam patriam, saepe saepius in ea despiciuntur, et inhonorantur, certe sicut amici Dei magno a Domino nomine donantur, Davide dicente (*Ps. 138*): *Nimis honorati sunt amici tui Deus; nimis confortatus est principatus eorum;* ita inimici eius summo dedecore, et infamia ab eo afficiuntur: nam, ut omittam Cainum, quem Deus publico signum, hoc est, continuo capitis tremore propter fratricidium nolaverat; ut omittam Pharaonem ab hostibus suis devictum, ac misere aquarum viribus submersum; ut omittam impium Aman infami patibulo suspensum; ut omittam lascivos Susannaes senes summo cum dedecore morte mulctatos, ut omittam regem Nabuchodonosorem instar quadrupedis animalis per desertam errantem, et herbas pascentem in superbiae et elationis suae supplicium; ut omittam, inquam, hos, et plerosque alios similes peccatores dedecoris, et infamiae cauterio propter peccata sua exustos, illud solum referam quod (*1. 3. Reg.*) lego. Quamvis enim propheta missus a Deo regi Ieroboam, tanta sanctitate polleret, ut cum rex adversus illum brachium extenderet, divinitus exaruerit, et virtute orationis eiusdem prophetae pristina sanitas ei fuerit restituta; quia tamen contra Dei praeceptum ei prohibentis, ne in via quidquam comederet, cibum sumpsit, continuo ex antris deserti egressus leo, irruit in illum, et in frustra discerpit. Legimus quidem leones Danieli in lacu nihil prorsus nocuisse: iugem pueros tres in camino ignis non laesisse: Elisaeum prophetam pueris illudentibus, ursos de eis vindictam sumpsisse: cur ergo nunc leonibus rabies non coeretur prophetam invadentis? Ratio sane est in promptu, nimirum, quod cum divinae voluntati obsecundabat, portenta faciebat, et cuncta sibi subdebant; ad divinae iustionis transgressor, et ex consequenti exul a Deo factus, imbecillis et abiecti animi factus est ad resistendum, facileque vincitur, et superatur. Sed, et illud in hac historia singulari observatione dignum esse reor, quod ibidem dicitur: *Erat cadaver eius proiectum in itinere, quisquis autem stabat**

iuxta illud, et leo stabat iuxta cadaver: quid quaeso, opus nobis erat agnoscere asinum, et leonem cadaveri simul affuisse? multum quidem per omnem modum id intererat; ut sic nobis per id innotesceret, quantum Deus hominem divini praecepti transgressorem despiciat, ac parvipendat: siquidem leo, qui irruit in prophetam, asinum illaesum relinquens, prophetam trucidal, asinum non tangit, prophetam crudeli morte necat, asinum liberam dimittit, propheta indemm abire non sinit.

Attende igitur, o peccator, quod licet Salomone sapientior sis, et in agnoscentis divinis arcanis prophético spiritu per omnes polleas; si tamen divinae non obtemperas voluntati, despicias a Deo, et stolido asino, hoc est, imperito, et idiotae postponeris. Ad haec rex erat Saul divino consilio electus, oleo sancto unctus, et tamen cum Deum consulere, quid sibi faciendum Philisthaeis illum acriter oppugnantibus, ne ab eis exterminaretur, divinum oraculum ei obtulit, responsum nullum accepit: quia, cum per peccatum exul esset a Deo, sic illum desepxit, ut nec verbum ullum ei respondere dignaretur (*1. Reg. 28*): *Non respondi tui, neque per somnia.* Mirabile certe est, quod non designatus fuerit Dominus loqui diabolo sub forma serpentis, ad narrat Moyses in principio Gesseos, nec designatus fuerit confabulari, et verba facere cum ipso daemone, ut in lib. Iob legitur, et tamen Sauli etiam minimum verbum respondere non dignetur. Equidem, si Saul peccator erat, etiam daemon; si impius ille, et iste; si inobediens ille, inobediens et iste; si superbus ille, superbus et iste: ut quid ergo Deus loquens cum diabolo, spernit loqui cum Saule? Eam profecto arbitror germanam rationem, in eo Saulem deteriorum fuisse ipso diabolo, quod de illo nihil mirandum, si ad Deum non se convertat, et de peccato suo non conteratur, quia omni ad suam conversionem divino auxilio penitus destitutus est; ad Saul, et quicumque alius peccator praesto habet sibi paratum divinum auxilium, et ad illud recipiendum ab ipso Deo vocatur (*Prover. 11*): *Vocavi, et renuistis; et ideo cum divinae vocationi non responderet, merito factum est, ut ipsi in auxilium suum Deum vocanti Deus vocationi illius non responderet (*1. Reg. 27*): Et non respondi ei, neque per somnia: sed neque hoc contentus Dominus supplicio, sceptri maiestate illum privavit, et hosti suo Davidi illam tradidit, in manus Philistinum cum dedit, eundemque, et filios eius turpi morte mulcavit, ut Samuel ei praedixerat: *Quid interrogas me, cum Dominus recesserit a te, et transierit ad caelum tuum? faciet enim tibi Dominus, sicut locutus est in manu mea, et scindet regnum tuum de manu tua, et dabit illud proximo tuo David, quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris eius in Amalech. Idcirco, quod patris, fecit tibi Dominus hodie, et dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philistinum. Cras autem tu, et filii tui mecum eritis, sed et castra Israel tradet Dominus in manus Philistinum.**

Ex his igitur facile conicitur, nullam pa-

rem deplorandam miseriam, quam exulem esse a Deo; unde Plutarchus (*in suis moral.*) dixit cuidam exuli: *Ne horrescas exulare: a iustitia exulare, miserum est. Ceterum, ut exulis animum valde constriatum recreemus, non erit ab re, si cum de Christi Domini exilio dissero, exili bona, et commoda commemorem. Exilium quidem a multis hostium indidiis saepe liberat: ut enim dixit Christus Dominius (*Matth. 10*): *Inimici hominis, domestici eius: cui consonat illud Isaiae (c. 3): Qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt.* Unde egregie Petrarca (*l. 2. de remediis utriusque fortunae*), cuidam conquerenti: *In exilium eo:* respondit: *Immo forsitan in requiem: sub obtentu falsae miseriae vera felicitas est, iam saltem ab invidia tutus eris, prope, mixtanque cum gloria securitatem arripes. Tutis, et honestis latebris nihil est dulcius, nullae hic conferri possunt urbium plateae; et ibidem in idem argumentum eleganter dixit: Neque in tergum respicias, neque reditum cogites, neque cum illis esse cupias, qui te cupiunt abesse, neque dum quod a te fieri debuit, ab alio factum aegre feras. Debuiti cedere civium invidiae, utque illam fugeres, ultra in exilium ire, ita quidem fecerunt famosissimi viri Africanus, Nasica, Lentulus clarum Patriam deserentes libenter: sponte Pythagoras urbem Samon liquit, Athenas Solon, Lysurgus Laedaemona, Roman Scripio, et alii, quod longum esset perscrutari.**

Secundum exili bonum est, quod non semel exulem facit, vel doctorem, ad quod alludens Diogenes vocatus a quodam miser, eo quod in exilio versaretur, respondit: *Iustus ob causam philosophatus sum: vel reddid temperantorem, ut enim dicebat Democritus: Exilium, et peregrinatio vitae frugalitatem docent: vel famam parit illustriorem, ut observavit Petrarca (*praec. loc.*), dum ait: *Multos exilium honestavit, multos acrior aliqua fortunae vis, atque iniuria notos reddidit, et illustres: quid te vetat illis inseri, qui quasi ignem de silice claram famam, collisionibus quaesierunt?**

Tertium exili bonum est, quod exulem magnanimum reddit, a patriae uberibus non reponeret, merito factum est, ut ipsi in auxilium suum Deum vocanti Deus vocationi illius non responderet (*1. Reg. 27*): *Et non respondi ei, neque per somnia: sed neque hoc contentus Dominus supplicio, sceptri maiestate illum privavit, et hosti suo Davidi illam tradidit, in manus Philistinum cum dedit, eundemque, et filios eius turpi morte mulcavit, ut Samuel ei praedixerat: *Quid interrogas me, cum Dominus recesserit a te, et transierit ad caelum tuum? faciet enim tibi Dominus, sicut locutus est in manu mea, et scindet regnum tuum de manu tua, et dabit illud proximo tuo David, quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris eius in Amalech. Idcirco, quod patris, fecit tibi Dominus hodie, et dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philistinum. Cras autem tu, et filii tui mecum eritis, sed et castra Israel tradet Dominus in manus Philistinum.**

Ex his igitur facile conicitur, nullam pa-

Quartum exili bonum est, quod exul comites nascitur: magni nominis viros, ut in his

praeclearis verbis id Petrarcha scite observavit: *Habes in historicis magnos huius rei socios, quorum speciosissimus comitatus, non sensum modo doloris inminuat, sed oblivionem afferat. Non minor in exilio Camillus fuit, quam fuisse domi, quantus civis? quantus exul? qui victoriosus, ac triumphos, non iustitia minus, quam prosperitate conspicuus in capitulum ducit, mox hinc pulsus pro accepta iniuria ingratus salutem patriae rependit. Non facile aliud tam clari exulii exemplum fateor: sed Rutilius, et Metellus tam nihil exilio fracti sunt, ut Rutilius revocatus ab illo, cuius nutui non parere capitale erat, exilium amplexus, reditum contempserit, seu ne ulla in parte senatus, iniustus licet legibus patriae obstaret, seu ne forte exulitum fieri posset. At Metellus eodem, qui in exilio profectus erat, cultu, atque animo remearet. His Marcellus accedat, hic ultimus, qui in belli civitatis tempore incidit, pulsus nempe, non solum modo constantiam, honestarumque artium studium non omisit, sed strinxit arcibus, et publicis liber curis, ut excolendo animo tam ardentem incubuit, ut ad scholas missus honestissimus, non ad exilium videretur. Quod quidem in Ciceroe conspectus, operum splendor, et litterarum copia maior fecit, non exilii modo, sed carceris dulce solatium; haec ille.*

Ex quibus, et aliis a me commemoratis, non ero insipiens, si dicam quod tametsi inhabilitatio patriae sit adeo omnibus chara, ut Sertorius, id referente Plutarcho, postquam de hostibus varias luterat victorias, facultatem postulans a Pompeio, et Metello, ut liceret sibi Romam ingredi propriam eius patriam: dixit, multo gratius sibi esse Romae inter abietos, et plebeios connumerari, quam totius orbis imperialem regem fieri. Cui simile est illud, quod Seneca refert, tanti habuisse Ulysses Ithacae saxa, quae patriae sua erat, quanti Agamemnonem urbis Micenae inexpugnabiles muros. Alius etiam dixit, gratum magis sibi esse fumum propriae patriae, quam suavem auram alienae. Quid quod Pythagoras interrogatus, quomodo quis gerere se deberet erga patriam? respondit: *ut erga matrem.* Ac tandem Hyerocles amore patriae ebrius dixit: *Patria est velut alter quidam Deus, et primus, maximusque parens:* licet, inquam, ita sit clara unicuique propria patria, minime tamen insipientiae mihi vendendum puto, si dixerio, maiora seculo afferre bona exilium, quam patriam, maxime cum iniustum est exilium: tunc enim habet iniustus exilii solatium, comitem iustitiam, quae infusos expulsores desiliunt, illum secuta secum exulat. Pergat igitur exul alacer, et securus, sciens, quod cum Deus sit immensus, nihil illi longe est: in exilio proteget eum, sicut protegit in patria; ubique enim misericors est et benignus. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Agimus de longo, ac laborioso Virginis itinere in Aegyptum, pariterque ostendimus d. Iosephum fuisse tam matris, quam prolis singularem protectorem.

Quanta fuerit difficultas itineris ex Nazareth in Aegyptum, quam gravis, ac molesta illa fuga, ex multiplici capite deprehendo. Primo ex magna distantia a Nazareth usque ad Aegyptum. D. Augustinus (*serm. 82. de temp.*): *Ab illo, inquit, loco ubi erat Iacob usque in Aegyptum via erant trecenta milliaria, una autem leuca tribus milliariis constat.* Severus Sulpitius (*in primo Dial. cap. 4*) quantum a Bethlehem distet Aegyptus, his verbis indicat: *Bethlehem oppidum, quod ab Ierosolymis sex milibus distat, ab Alexandria autem sexdecim mansionibus abest.* Alexandria civitas est Aegypti. Borchardus 27. leucas ab Ierusalem, usque ad Hebron 8. supputat, ab Hebrone usque ad Gazam diataeque unius iter esse scribit. Unde a Nazareth Cairum usque centum amplius leucas itinere terrestri supputare poteris, cuius magna pars deserta erat. Ut tamen clarior notitia huius itineris habeatur, pariterque apeririatur, quare cum brevis esset iter per mare, non illud elegerit sanctus Ioseph? Considerandum est, ut tradit Abulensis (*in cap. 2. Matth.*), quod per viam brevem et rectam, quae est de Aegypto per terram Philistinorum, licet quasi totum per desertum sunt fere 70. leucae, et hoc est, computando a civitate Gaza, quae est de terra Canaan, usque ad civitatem Cairum, quae est maxima in Aegypto. Sed de hac via sunt quasi viginti leucae arabiles, et competens habitatio: quinquaginta autem reliquae sunt verum desertum, et sic secundum veritatem inter terminos Aegypti, et Iudaeae, sive terrae Canaan, solum sunt leucae 50. in vera solitudine: quia quando computamus 70. incipimus a Gaza; et tamen non terminatur Canaan ex parte australi in urbe Gaza, sed in quodam loco, qui vocatur Darum, et est iuxta mare mediterraneum, vel verius, terminatur in Bersabee, quae est magis intra desertum: et ista solent poni in Scriptura tanquam terminus terrae Canaan, sicut dicitur (*1. Reg. 3*): *Cognovit universus Israel a Dan usque Bersabee.* Ecce ponitur ibi Dan tanquam terminus terrae Israel ex parte aquilonari, et Bersabee terminus ex parte australi. Aegyptus etiam non incipit in Cairo ex parte aquilonari, sed multo ante in urbe, quae vocatur Pharamia, et tamen ipsa civitas non habitatur, et etiam Taphnis, quae est post illam, sed habitatio incipit in Cairo, ideo ibi incipit computari Aegyptus.

Ut tamen amplius adhuc cognoscatur via ista; advertere oportet, quod in Aegypto de terra Canaan via facilior est per mare, maxime quia de Ierusalem usque ad mare mediterraneum, quod est ad Occidentem, sunt novem leucae, scilicet ad urbem Iopem; et inde navigando in Aegyptum, sunt quasi 80. leucae. Si quis temen velit ire via terrestri, ibit

de Ierusalem, vel de Bethlehem ad urbem Gazae, quae est una de quinque civitatibus terrae Philistinorum, et pertinet ad terram Iudaeae; et per istam viam revertebatur Enochus reginae Aethiopiae, qui ibat in Aegyptum, et inde in Aethiopia, sicut dicitur (*Act. 8*): *Surge, et vade contra meridianum ad viam quae descendit a Ierusalem in Gazam.* Gaza autem est circa finem terrae Iudaeae in latere australi. De Gaza usque ad quindecim milliaria est in litore maris mediterranei quidam locus, qui dicitur Darum, vel Borum, et in eo est finis terrae promissionis in litore, licet ultra habeat aliquid terra Iudaeae, non tamen in litore maris. Debaro usque ad locum, qui dicitur caput Boroaldi, sunt triginta milliaria, et inde usque ad fundum cuiusdam stagni, qui dicitur Derisa, sunt milliaria triginta, et inde usque ad aliud caput eiusdem stagni sunt milliaria triginta, et inde usque ad locum, qui dicitur Rasacharon, sunt milliaria 50. et inde usque ad Pharcianum sunt milliaria 30. et hinc incipit Aegyptus. Haec fuit civitas benemurata, et munita, sed postea a serpentibus totaliter occupata est, nec ibi quisquam adest habitator, et posita est in ostio Nili fluminis iuxta mare, quia ibi unum brachium Nili absorbetur a mari mediterraneo.

Hoc sufficit ad cognitionem itineris Iudaeae in Aegyptum, quod prudenter credimus tenuisse Ioseph cum Virgine, quia nullum aliud est, nisi per mare ire decrevisset, quod Ioseph minime elegit; forte ut ait Abulensis (*in cap. 2. Matth.*), quia cum esset pauper, non satis illi erat ad expensas per mare faciendas: sed praecipua causa duplex fuit. Prima ut Herodem lateret fuga Ioseph, qui si voluisset navigio ire, oportebat eum forte manere aliquot diebus in portu maris, expectando navigium; ibi autem erat locus communissimus, ubi solent esse collectores proventum regalium; et sic aliqui de satellitibus Herodis potuissent videre Ioseph fugientem cum parvulo, quod erat magnum inconveniens, cum ipse vellet omnino latere fugam suam, hac enim ratione nocte recesserat. Secunda ratio est, quia via maris erat valde noxia tenero infanti, alioquin enim provectoris aetatis homines non assueti navigare, et frequenter videmus, non possunt sustinere labores maris propter maximam quam sustinent immutationem. Ivit ergo Ioseph via in Aegyptum terrestri supra assignata.

Alii tandem, ut ad id unde nonnihil digressi sumus, revertamur, longius multo quam diximus, arbitramur fuisse iter a Nazareth in Aegyptum, in eo fundati, quod Israelitae ex Aegypto in Iudaeam quadraginta annorum spatio pervenerunt, ut ex libris Moysis constat: sed falluntur. Quia non duxit illos Deus itinere recto in terram promissam, sed quadraginta annorum spatio per solitudinem circumduxit, ut habetur (*Exod. 13*): *Cum emisisset Pharaon populum, non eos duxit Dominus per viam terrae Philistinum, quae vicina est, reputans ne forte poeniteret eum, si vidisset adversum se bella conurgeri, et revertetur in Aegyptum; sed circumduxit eum per viam deserti, quae est iuxta mare rubrum.*

Secundo, difficultatem tam longi itineris non

potuissent non vehementer augere eximia Mariae, et Iosephi paupertas: licet enim sacri conieges non adeo inopes fuerint, ut aliorum elemosynis viverent, quod absque ullo fundamento confingunt Haeretici huius temporis, cum potius ex Scriptura sacra habeamus Iosephum fabrilium artem exercuisse; non solent autem humidos artifices mendicare, neque elemosynas exigere.

Deinde addo sanctos Patres asserentes parentes Virginis honestae fuisse conditionis, et beatam Virginem fuisse virginem et haereditem, et ideo misisse virum eiusdem tribus, et familiae; quin potius adnotat Nicephorus (*lib. prim. Hist. cap. 3*), parentes Domini redisse Nazareth e Bethlehem post Christi natalitatem, propter eam, quae tunc ibi eis erat substantiam, et possessionem: *utrobique enim, inquit, habitabant, quod utroque loco proventum aliquem, ut conciere licet, habebant.*

Denique Eusebius Emisensis (*homil. in nat. Virg.*): *Manifestum, inquit, est beatissimam Virginem Mariam, quae nobilissima haeres parentibus suis in haereditatem successerat, si quidem neque fratres habebat, neque habuisse legitur, neminem de alia tribu coniugem accipere iuxta.*

Sed forte dices eam non habuisse haereditatem? Lege ergo in Levitico, et invenies quod non haereditatem suam ex toto vendere poterat, etsi unum eius vendere potuisset: veniente namque iudicio, omnis haereditas ad proprium dominum revertebatur; quomodo autem sine haereditate esse poterat, quae ex nobilissimis parentibus orta fuerat? Inque licet Maria, et Ioseph non tanta opprimerentur paupertate, ut e mendicatio viverent; in itinere tamen ad Aegyptum verosimiliter est, compulsus fuisse non semel elemosynam quaerere: tum quia cum repentina fuisset, et inopinata eorum profectio ex Nazareth, non poterunt sufficientem pecuniam in promptu habere. Et licet quidam putaverint, ut refert Canus (*lib. und. de loc. comm. cap. 5*) ad prudentiam Virginis spectasse, quod aurum a Magis oblatum reservaverit pro viatico in Aegyptum; quod et placuit Iansenio (*ad capit. undec. suae Concord.*), dum ait: *Iam pulchre donarius Magorum ad hoc exilium suum cum matre, et nutritio communierat; id certe nulla ratione mihi probatur: tum quod angelica relectio de eundo in Aegyptum nondum tunc facta fuerat, atque adeo praevideri non poterat futura illa necessitas: tum quia beata Virgo pro eximia sua religione, aurum Deo oblatum in sacros usus, non in temporalem alimoniam expensisse censenda est: tum quia, ut erat liberalis, et beneficentiae amatricis, forte aurum illud in pauperes erogavit, ut tradunt divus Bonaventura (*in lib. 6. de vita Christi*), et Dionysius Carthusianus (*in lib. de vit. Christi*): tum tandem quia, ut recte adnotavit Abulensis (*in cap. 2. Matth.*), licet reges Magi obtulissent maxima munera, Virgo tamen ut ostenderet omnia se terrena spernere, de singulis modicum quid accepit, quod parvo temporis spatio ante purificationis diem consumpserrat; cuius iudicium est, quod non obtulit tunc agnam, sed duos pullos columbarum. Tertio, quia arduum et*

molestum valde est propriam relinquere patriam: ad quod respiciens divus Paulus (*ad Hebraeos primo*), exaggerat mirum in modum obedientiam Abraham cum iussu fuit (*Genesis cap. 12*) a propria patria egressi: *Fide qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in haereditatem*. Experientia quidem competum est inter proprios, charius esse pauca quaedam, quam inter alienos, et maxime barbaros, multa possidere; unde Ovidius (*lib. 1. de Pont.*) cecinit:

Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?
Ilic tamen ex illa barbarus uel fugi.
Nescio quid natale solum dulcedine cunctos
Ducit, et immemores non sinit esse sui.

Quarto augebat difficultatem, et laborem illius itineris, quod cum partim sacri illi peregrini per deserta incederent, partim per loca idolorum cultoribus plena, in quibus nullum pietatis specimen, sed efferae ac barbarae conditionis mille iudicia videres, certe inopiae viatorum nullo adminiculo subueniebant. Olim refert sacra regum historia, quod cum rex David fugerit a facie Absalonis, mortem illi machinantis, duplici solatii genere animus eius fuit relaxatus, quia et multi milites illum in ea fuga comitati sunt, et in via quidam misericordia moti varia ciborum genera ad esalium eius sublevandum ei obtulerunt. At sacri illi exules, Jesus, Maria, et Ioseph, nec amici associati, nec liberali aliqua eduliorum oblatione in via recreati, famelici, et sitibundi, longissimum illud iter peregerunt.

Ecce quam veraciter David (*Psal. 87*) dixit: *Pauper ego sum, et in laboribus a iuventute mea*; non tamen, quoad posset, videtur mihi David Christi indigentiam, et pauperitatem exaggerasse, cum re vera non solum a iuventute, sed a pueritia, immo et ab utero matris suae: et quidem paucos post dies ab ortu suo sanguinem fudit, circumcissionis gladio percussus; postmodum vero infestissima Herodis persecutio eum in Aegyptum exulavit; ideoque David id non ignorans, cum Psalmum illum composuit de Christi laboribus tractantem, hunc titulum ei apposuit: *Pro susceptione matulina*: vel ut alia Versio habet, *Pro cervae aurorae*. Certe cum matutino tempore, quo coelum super gramina rorem suum mitit, venatores canibus suis parvulam cervam prosequuntur, non minus infesta, et ingrata est illi canum insectatio, quam roris super illam cadentis humectatio, quia haec, ut philosophi naturales tradunt, illam animo cadere facit, et fugam refert, unde duplex tunc in eam insurgit persecutio; una e coelo, altera a canibus. Non dissimiliter Christi Domini humanitati accidit, contra quam, velut contra cervam, in aurora suae infantiae coelum, et terra conspirarunt. Pater coelestis vult illum in Aegyptum relegari, et cum facile posset, ad eum liberandum, Herodianam retundere crudelitatem, id prorsus negligit. Herodes sanguinis eius sitientissimum necem machinatur illius, qui vitam nobis dare venerat: unde instar cervae, quam diligentissimi venatores insectantur, fugit ex

Iudaea in Aegyptum, et ex Aegypto in Iudaeam: ac tandem in monte Calvariae a canibus captus ac dilaceratus, ut ait David (*Psal. 21*): *Canes multi obsederunt me, sanguinem, et vitam summo cum dolore profudit*.

Haec et similia considerans s. Pet. Chrysologus (*hom. 151*) ait: *Sic rex urget Christum infantem? sic non vacat intueri verecundiam Virginis, laborem Matris, seculi pudorem, periculum Ioseph, longinquitatis fatigationem, exitium totius domus, et quod his durus, Iudaeos peregrinatos in gentibus, quibus nec ipsa est communitio, immo est profundum legis transgressione naufragium. O quam dura est peregrinatio etiam inter cives fratresque: sapit quis sit sua domus, qui sensit alienam; haecenus ille*.

Solum illud matri, et infanti in itinere ad Aegyptum impensum fuit solatium, ut s. Ioseph natrique adesset in obsequium, et protectionem. Ad quod melius intelligendum d. Thoma doctrinam in memoriam vobis revocabo. Angelicus hic Doctor (*1. part. q. 13. art. 4. 5*) ex doctrina d. Hieronymi docet omnibus, et singulis hominibus destinatos esse a Deo singulos angelos custodes ad eorum protectionem, et defensionem. Multi etiam Patres, quos sequuntur Alexander Alensis (*2. par. 9. 41*), Episcopus Abulensis (*9. 65. in c. 18. Mat.*), et alii, constanter docent, diabolico stratagemate fieri, ut daemoniorum praeses singulis hominibus singulos daemones ad eorum impugnationem destinet, Deo id sic permitente, ut homines per eos vexati exercentur. Meminit huius Tertullianus (*in lib. de anima c. 21*), dum in hunc modum interrogat: *Cui hominum non adhaeredit nequam ab ipsa etiam iuua natiuitatis, animam occupandus? sed et d. Greg. Nyssenus id ipsum discrete in haec verba nobis tradidit: Occultior quaedam tralito est, versus sermo ad nos usque descendit, angelorum aliquem in adminiculum cuique constitutum fuisse, qui naturae nostrae corruptorem in omnibus contra annitentem pravam aliquem, atque maleficum daemone ad male vivendum homines impellentem ad singulos destinasse. Alique hoc etiam non obscure significasse mihi videtur d. Paulus, cum propter hos daemones nos impugnantes dixit (*ad Ephes. 6*): *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum*. Adest igitur singulis hominibus a nativitate sua angelus bonus, et angelus malus; solus tamen Christus Dominus angelo custode carni, ut docuit d. Thomas (*1. p. quaest. 13*), quia eius humanitas gubernabatur et custodiebatur a Verbo divino cui erat unita; et ideo angelo custode non indigebat. Angelus enim nequam, seu daemones, nulli ei destinatus, quia excellentiam, et dignitatem suae personae decebat illum sibi adesse. Cum ergo utroque hoc angelo careret, divina providentia loco angeli custodis adhibuit illi b. Iosephum, qui in infantia sua illum custodiret; diabolica vero malitia, loco angeli mali, praestitit ei impium Herodem, qui illum persequeretur, et mortem illi machinaretur. Est enim vetustissimum odium diaboli, quod a principio suae creationis adversus hunc infantem*

conceperat, ut non obscure indicant verba Christi Domini, *ille homicida erat ab initio*. Licet enim nonnulli Patres, quos sequuntur Glossa ordinaria, et Lyranus (*in Sep. 2*) per *initium* intelligant initium creatoris primi hominis, quando ait Sapiens, *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*, quia tunc serpens fuit homicida, spiritualiter occidens primum hominem; d. autem Aug. (*in comm. illius loc.*) intelligi posse docet initium creationis angeli, tunc enim, ut tradunt d. Bernardus (*serm. 7. in Cant.*), Basilium (*serm. de inc.*) et Gregorius (*orat. catechis. 16*) propositus fuit illi in spiritu Christus Dominus adorandus, cui ille invisidens unionis hypostaticae maiestatem, non solum recusavit illum revereri, sed et caepit infestissimo odio prosequi, adeo ut nihil intentatum relinqueret, ut sobolem, ex qua Christus nasciturus erat, de medio deleret. Unde haec ratione Pharaonem incitavit, ut omnes masculos Hebraeorum occideret, quia ex illis carnem assumpturum Filium Dei noverat ex promissione Abrahamo facta: tunc Moyses in fide sua Dei beneficio liberatus typum gessit Salvatoris de manu Herodis liberati. Deinde per Aman conatus est genus omne Hebraeorum delere. Tertio per Athaliam impiam curavit interficere omne semen regium, ex quo Christus Dominus nasciturus erat, divina tamen providentia servatus est rex Ioas. Quarto per Antiochum (*1. Machab. 1*) genus omne Iacob, quod in Machabaeis vigeat, omnibus viribus extirpare curavit. Nauc tandem per Herodem puerum Iesum quaerit, ut illum perdat et interficiat. Delusus est tamen miser: quia, ut ait Sapiens (*Proverb. 24*): *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*: et (*Isaie 8*): *Inite consilium, et dissipabitur*: et (*c. 16*): *Consumptus est miser, defecit qui concubabat terram*. Infeliciter enim mortuus est Herodes, et Dominus Iesus ministerio Iosephi angeli sui custodis a morte liberatus et creatus eius manibus evasit. Sicut enim olim angelus Raphael Tobiam iuniorum duxit in longinquam terram, et e faucibus immanissimorum piscis eripuit, qui ex mari egrediens ad devorandum illum invaserat, sic s. Ioseph Christum Dominum in longinquam Aegypti plagam decens praeliberavit a nece, quam impius Herodes ei inferre moliebatur.

Sed non solum infanti, sed et matri singulare praesidium extitit sanctus Ioseph, praecipue tamen in laborioso hoc itinere, cum sudore vultus sui, et fabrilis arte alimenta ei ministrabat, et in exilio eam consolabatur, itinerisque molestias quoad poterat ab ea vel propebat, vel alleviabat: unde b. Virgo fatebitur bene sibi fuisse sub umbra sui sponsi (*Cant. 2*): *Sub umbra eius quem desideraveram sedi*. Pro cuius loco intelligentia suppono, duplicem sponsum habuisse b. Virginem, divinum unum, alterum humanum; divino fuit sponsata per fidem, et charitatem; humano per vinculum matrimonii. Illud autem non parum humani sponsi excellentiam commendat, quod verba quae b. Virgo de divino sponso pronuntiaverat, huiusmodi divinum aemulanti admissim etiam conveniant. Certe sponsum cum eximiam Mariae

pulchritudinem laudasset, tanto excellentiorem esse affirmans, quanto pulchritudo libi spiciam pulchritudinis maior esse noscitur (*Cant. 2*): *Sicut litum inter spinas, sic ancina mea in inter filias*: ipsa pari rependens, divino sponso dixit: *Sicut malus inter ligna-sylvarum, sic dilectus meus inter filias*. *Sub umbra illius quem desideraveram sedi*. Haec autem eadem verba in sanctum Iosephum humanum eius sponsum egregie quadrant: etenim cum b. Bernardus (*ser. 48. in Cantica*) quaereret, cur omnibus melioribus arboris huius melioris ligni adducta sit comparatio? nunquid cedro libani, cypressi, et similibus pulcherrimis arboribus non poterat illum comparare?

Respondet merito sponsam eius desiderasse umbram, de quo refrigerium et reflectionem pariter esse acceptura; illas sublimes ac proceras arbores praeterit, quia infruiferas erant, ex malo autem fructum dulcissimum delibare poterat. Philo, Episcopus Carpathus affirmat, per arborem fructum ferentem iustum designari, iuxta illud Davidis (*Psal. 1*): *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*; cum ergo s. Ioseph iustus esset, ut ait d. Lucas, *cum esset iustus, nobis cum traducere, apte satis per arborem fructiferam beata Virgo illum significavit, a quo et refrigerium et fructum alimentum quotidie percipiebat*. Veram cum multae aliae arbores fructiferae malo pulchrioribus inventiantur, vacare non potest mysterio, sponsum malo potius sponsum suum comparasse quam aliter. Philo illud detegit, quod arbor ista coningalis amoris symbolum extiterit, ut testantur Phylistratus, Nicandrus, Theocritus, Catullus, Propertius, Virgilius, et alii poetae, flungentes amores natos sub malo, et sub eadem arbore iustare, et amantem malis se petere: quibus consonat, tum quod in somnio visa poma fructuorum pollicentur, ut delirant Artimedorus, et Statius: tum quod immixtate Dionis filia tanquam fructum amoris malum tenens proponitur, ut lale prosequitur Eustachius (*l. 8. Odyssae*), Pierius (*lib. 54. Hero.*), et Valerianus. Cum igitur b. Virgo tot fructus, quod adminicula s. Ioseph ei impendebat, esset ab eo perceptura, merito comparavit illum arbori, a cuius umbra refrigerium, et a cuius fructu reflectionem habitura esset. Deinde subiungit Philo, malo fuisse comparatum sponsum: quia arbor haec variis mysticis significationibus scatur. Equidem antequam ad delineandum virum vitae probitate conspicuum, Herculem depingebant, ut auctor est d. Gregorius Nazianzenus (*2. contra Iulianam*), cui tribuunt praerela gestia ac heroica facinorosa sua, tria poma manu tenentem, quae symbolum erant temperantiae, quia solo mali fructu temperantissimi homines vesti asseverant. Per illa autem tria poma veteres illi Graeci tres praecipue virtutes designari volebant, quibus totidem vitia coercerentur: mansuetudinem, ne ira exaudesceret; liberalitatem, ne avaritia vinceret; continentiam, ne carnis illecebris, et voluptatibus languesceret. Cum ergo s. Ioseph amore coniugali, mansuetudine, liberalitate, et continentia insignis valde esset, merito b. Virgo malo ar-

bori, quae omnium istorum umbram praesert, illum comparavit. Coniugalium amor maxime in illo enituit, nam alii viri uxores suas amantes venero amore frequenter alliciuntur; Ioseph autem castissimo amore Virginem prosequetur: alii amore concupiscentiae, qui voluptatem quaerit, consortium suam amat; Ioseph amore amicitiae, non in amant, sed amati bonum respicit, ardentem diligebat. Mansuetudo deinde in eo mirifice praefulsit, cum zelotypicum furorem sponsa sua ab eo inlata praegnanate, ita cohibuit, ut ab eius accusatione se abstineret, Evang. dicente (Matth. 2): *Notuit eam traducere. Liberalitas tandem, et animi magnificentia ei non defuit, quia licet ad faciendum magnos sumptus facultas ei non suppleret, quae tamen labore manuum suarum quaeritabat, ae omnia in matris, et proli subsidium convertebat, ob quae merito Christus Dominus ei dicere poterat quod David Deo (Ps. 22): In te prociectus sum ex utero matris meae: nec non et Maria laetanter intonare (Gen. 2.): Sub umbra eius quem desideravam sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA VII.

Ostenditur, quam utile fuerit Christo Domino praesertim in eius infantia, Iosephum, in Mariae sponsum, et in proprum nutrimum, et custodem elegisse, explicatis illis verbis: Quaesivit Dominus sibi virum secundum cor suum.

Quamvis omnipotentia deitatis, quae sub humana infantilis corporis substantia latebat, facili negotio potuisset Christus Dominus et ab Herodiana saevitia se eripere, et ab adversi temporis inclementia in itinere ad Aegyptum se protegere; placuit tamen ei, cui facile est honestare pauperem in oculis eius, humilem Iosephum ita exaltare, ut eum non solum in suae genitricis sponsum, sed et in suae infantiae nutrimum, ac protectorem eligeret. Unde verba illa (1. Regum c. 13) apte satis in divum Iosephum convenire mihi videntur: *Quaesivit Dominus sibi virum iuxta cor suum.* Licet enim secundum sensum literalem verba haec dixerit Samuel de Davide, quem loco Saulis Dominus in regem elegerat; in sensu tamen mystico, aut accommodatio, ut moris est apud Patres, congrue ei quadrant: maxime, quod non semel sacra Scriptura multa de filiis praedicit sub nomine suorum parentum, ut clare constat in Gen. 49: ibi enim Iacob futura vaticinans, inquit: *Don quoque iudicabit; quod in Sampsone impletum fuit, et in libro Psalmorum frequenter videmus, loquente Deo cum Davide, sermonem dirigi ad Christum eius filium. Similiter igitur Samuel illa verba profertens de Davide, eadem quoque retulit ad Iosephum ipsius Davidis filium, quem Dominus sibi quaesiturus erat non ad regnandum super Israel, sed quod excellentius multo est,*

ad imperandum, et dominandum super Creatorem totius orbis, ut divus Lucas (c. 11) testatur: *Subditus erat illis, hoc est Mariae, et Iosepho. Unde d. Bernardus (ser. 2. sup. Missus est) de Iosepho loquens, inquit: Quem tanquam alterum David Dominus invenit iuxta cor suum, cui tuto committeret sacratissimum sui cordis arcanum; hoc autem arcanum Verbum divinum erat sub infantili carne delitescens, quod cum innumeris aliis sacramentis Iosepho Dominus credidit, ut melius, quam David, verba illa sibi usurpare potuisset (Ps. 50): *Incerta, et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.* Atque hinc est, quod, ut observavit divus Bernardus (praec. loc.), et angelus vocavit Iosephum filium David: *Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, et d. Lucas dixit esse de domo David: quae non absque mysterio censi debent dici. Vocatur enim filius David, ac de eius domo, non solum, quia ab eo secundum originem sanguinis descenderet, sed quia ab eius honestis moribus minime degeneraret. In eo tamen praecipue ei persimilis fuit, tum quia, sicut David, licet singularem curam habuit honorandi, et providendi mysticam illam arcam veteris testamenti, ita et Ioseph singularem curam adhibuit in custodienda, honoranda, et protegenda beata Virgine, mystica novi testamenti arca per veterem illam praefigurata: tum etiam quia sicut David mansuetudine clarus fuit (Ps. 131): *Memento Domine David, et omnis mansuetudinis eius;* ita et Ioseph mansuetudinis virtute mirifice praefulsit: etenim, sicut (1. Reg. cap. 26) legitimus, cum rex David facili negotio vindictam sumere potuisset de Saule, quem dormientem invenit, iram suam tamen coercens, omnino ab eius percussione se abstinit: *Vivit Dominus, inquit, quia nisi Dominus percussisset eum, aut dies eius venerit, ut moriatur, aut in praelium descendens perierit: propitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam in Christum Domini;* ita sacratissimus Iosephus, quamvis praegnantem videret sponsum, quam nunquam tetigerat, ac proinde potuisset illam accusare, prudenti tamen mansuetudine ductus ab huiusmodi accusatione se abstinit, evangelista Luca dicente: *Cum esset iustus, noluit eam traducere; sed antea rei curam fidenter in Deum iactavit. Nec ferellit enim illa mansuetudo, neque haec fiducia: siquidem continuo angelus Dominum apparuit ei dicens (Matth. 2): *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.****

Quam igitur apte proposita verba in hunc tantum virum conveniant, latius explicemus (1. Reg. 13): *Quaesivit sibi Dominus virum iuxta cor suum;* expendamus primum verbum illud, *quaesivit.* Sedula cura, ac diligenti studio quaesivit Dominus Iosephum: hanc enim vim habet verbum hebraeum, *hiches,* quo utitur originale, in quo sensu Salomon illud etiam accepit (Cantic. 3) in persona sponsae, dicens: *Quaesivi quem diligit anima mea: cuius indefatigabilem curam in quaerendo dilectum, illud manifestum iudicium extitit, quod circumvicit civitatem, ac per vires, et plateas illum*

quaeritabat, et quoscumque in via offendebat, de illo statim interrogabat. Vigilantiori certe studio, ac diligentiori cura quaerebat Dominus inter filios Israel virum aptum in sponsum Mariae, virginitalis eius custodem, ac suae infantiae nutrimum, et in periculis defensorum; nullum tamen ad haec tanta munera praestanda Iosepho aptiorem invenit. Unde quemadmodum d. Chrysostomus (hom. de David. et Gol.) sapienter dixit: *Quaerendo iudicari Deum singulos homines cum diversos attingisset, examinasset cunctos, plurimosque praevigilasset, e quorum numero eligeret regem, invenit tandem David, cuius meritum transire non potuit; ita similiter explorans Deus merita singulorum mortalium, cum omnia illa praeterisset, utpote insufficientia ad munera sponsi, et nutritii suscipienda, meritum tamen sanctissimi Iosephi praeriter non potuit, quin eum his tantis officiis praeficeret. Accidit quidem d. Iosepho, quod in senatu regio non semel contingit: refertur regi catalogus eorum, qui vacante aliqua dignitate aptiores censentur ad eius functionem, et multis ex his qui nominantur, praetermissis, cum pervenit ad eum quem rex digniorem praecoepserat, continuo ipse quasi meritum illius praeriter non valens, calamo scribit in margine: *Hinc confertur haec dignitas. Ad eundem certe modum inter plures viros sanctitate conspicuos, qui menti divinae obiciebantur, nullum digniorem inveniens, quem in patrem suae infantiae adoptivum et protectorem acciperet, quam beatum Iosephum, eius meritum praeriter non potuit, sed illum ad id munus elegit, meliusque de illo, quam de David patre suo dicitur potuisset (Acto. 13): *Intenti David, virum secundum cor meum, qui facit omnes voluntates meas.* Sicut enim iuxta parabolam Christi Domini, mulier illa quaesivit diligenter margaritam pretiosam per omnes sui domicilii angulos, ac tandem inter sterces illam invenit, ubi minus inventuram putabat: cui persimile est, quod vere contingit Samueli, cum inter filios Isai quaerens quem Deus sibi elegerat in regem, omnes praeteriret, tandem elegit Davidem oves pascentem in agro; ita quidem, cum omnes illos patriarchas, et reges Abraham, et Davidem, quos d. Matthaeus in exordio suae historiae commemorat, Dominus praetermississet, tandem inter sterces tot saeculorum hominum, et mulierum, quae in genealogia illa narrantur, invenit gemmam pretiosam, hoc est, iustum Iosephum, cuius meritum praeriter non potens illum elegit, ut matri suae esset sponsus, et sibi nutritius, et custos.**

Observandum tamen est, quod ubi nostra vulgata legit: *Quaesivit Dominus: Septuaginta Interpretes translulerunt de futuro: Quaeret Dominus sibi virum, ut hinc clarius intelligeretur, quod quantumvis Deus non solum in praeteritis hominibus, sed in futuris quempiam quaeret, Iosepho parem nullum invenit. Atque hinc patet solutio ad eam difficultatem: Quare Deus, cum a principio potuisset per angelum, quem misit ad eius sponsum, divinae prolis in utero Virginis concipiendae certiorum*

illum reddere, voluit animam illius acerbo zelotypiae dolore conficere? Respondet egregie Rupertus (lib. 1. in Matth. cap. 1): *Ut manifestum fieret, tam sanctis angelis, quam nobis hominibus, de seipso, quod esset iustus, et talis, quod digne se deberet appellari: quasi dicat: ne in hac electione, quam Dominus fecit, videretur cupiam personarum acceptator; sed iuste potius Iosephum, in patrem suum legalem, et custodem elegisse: ideo ingenti illo zelotypico dolore illum probavit, ut instar auri in medio fornacis accensus, valor virtutis eius in omnium oculis clarius efflueret, manifesteque cunctis eximia eius sanctitas innotesceret, qui gravidam videns sponsum, non congereretur de illa, non increpare, non accusaret, non traduceret, non lapidandam tentaret, iuxta legem (Deut. 22). Unde sicut de Iob, ita et de Iosepho dicere licet: In his omnibus non peccavit Ioseph labris suis. Hanc praecellentem Iosephi sanctitatem ex maiore conjunctione, quam habuit cum Iesu, sapienter colligit Rupertus (praec. loc.), memor illius scilicet, quam vidit Iacob, in cuius vertice aderat Dominus innoxius, et per cuius gradus ascendebat, et descendebat angeli. Sancti, qui angelicam vitam agunt, ex propriis suis operibus meritorius gradus conficiunt, per quos ad Dominum ascendunt. Unde quanto excellentiora esse perhibentur eorum merita, tanto illi sunt in altiori gradu scilicet, et ex consequenti propinquiores Deo. Rupertus ergo postquam Iosephum constitutum esse in primo illo gradu, cui insidebat Deus: *Supremus, inquit, gradus scilicet, cui Dominus innoxius est, iste est beatus Ioseph, vir Mariae, de quo Iesus, qui vocatur Christus, natus est.* Recte ait: *cui Dominus innoxius est, cum et in itinere ad Aegyptum, et in reditu in Iudaeam, Iosephi adiutorio, et protectione initeretur, qui matrem, et prolem summo studio custodiebat, et eorum commodes, quoad poterat, sedula diligentia consulebat. Idque plane indicant verba illa: Quaesivit Dominus sibi; ac si diceret: quaesivit illum in commodum proprium, ut explicuere d. Augustinus (in 1. Reg. 13). Illud enim latum interest discrimen inter beatum Iosephum, et reliquos omnes viros sanctos, quod licet omnes quaesierit Dominus, ut illos ad se traheret, quia ut dixit Christus Dominus (Ioann. 6): *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum;* tamen alios sanctos quaesivit ad eorum utilitatem, illorum bono dumtaxat prospiciens, Iosephum autem non solum propter hoc, sed quaesivit illum sibi, hoc est, propriae utilitati consulens, ut ab eo protegeretur, et nutreteret, et integritatis suae matris vigilantissimus custos esset. Ut enim sapienter dixit d. Augustinus (de sanct. Virg. cap. 4): *Desponsata est Maria viro iusto, non violenter virginitalitatem ablata, sed potius contra violentos custodiatur.***

Vel alter dicamus: *Quaesivit Dominus sibi.* Tota beatissima Trinitas quaesivit Iosephum sibi; Pater illum quaesivit, ut nutriendum traderet ei Filium suum; Filius eum quaesivit in patrem suum legalem, ac Matris suae sponsum, et ut honori virginis, et nobilitati suae con-